



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Doctor virtutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

heretur ab alio, uti Boves, & Oves, quæ animalia sunt insigniter mansueta, eos qui manu trahunt facile sequentia: ideoque non omnium hæc munera, sed Judæorum tantum esse videbantur: propterea quod illis, tametsi virtutis nihil operarentur, sufficiebat tamen nihil iniqui; agere. Atque huc David cum illud citat Hefychius: *Homines & Jumenta sivos facies, Domine*. Neque sum nefcius, pastores Ovium apud Ægyptios ignominia: cujusdam nota, & pene prophanos habitos, quo nomine Apion ut apud Josephum est, Israeliticos populos appellabat: atque ipsi hoc in historia sacra dissimulant. Sed ut simplicitatem illam vivendi, quæ colligitur tam ex nostra, quam ex antiqua gentium pene omnium memoria, prætereamus (certatim enim scriptores omnes primum hoc humanæ vitæ institutum laudibus omnibus ad coelum ferunt) est & mystica interpretatio, quæ Ægyptii posteriores ii, qui à priscis illis longe desciverant, non pastores ipsos, sed pastorem significatum odio persecuti deprehenduntur. Nam qui corporis incitationibus, ejusque voluptatibus indulgere sibi permiserit, dubio procul hos, qui recta moneant, quadam velut execratione declinabit. Atque id denique erat in causa, ut abolitis jam antiquioribus illis priscorum sacerdotum institutionibus, qui papyro vigitabant, qui castimoniam & synceram animi puritatem amplectebantur, recentiores mox ex otio & opulentia ad delicias & illecebras prolapsi, in quas cursu effusissimo ferebantur, ceperint pastores hujusmodi pariter aspernari & abominationi etiam habere: utpote qui, ait Horatius, nil vellent ab iis audire, nil discere, nil quod agros levare posset, fidis offenderentur medicis, amicis irascerentur, si quando eos funesta veteri suffocatione arcere properarent. Sic & Cainus pastorem fratrem, hominem quippe pietati addictum, ferre non potuit, cum ipse terrenis tantum affectibus mancipatus esset. Sic passim etiam nunc probi modestique viri à potentioribus ignominiose accipiuntur, scelesti, imposteres, parasiti, & ambubiarum collegia in honore sunt, & quæcumque appetierint commoda consequuntur, atque ita demum.

Potores, bibuli, media de nocte Falerni

Oderunt porretæ negantem pocula, quamvis

Nocturnos jures te formidare vapores.

DOCTOR VIRTUTIS. CAP. XIX.

UT vero ad pastores nostros revertamur, pastorem Ovium Ambrosius interpretari videtur dicitur. Uptatorem rationis, doctoremque virtutis. Et ubi scriptum, *filios Arietum Domino offerendos*, Principes Ecclesiarum exponit Eucherius: & Oves intelligit eos, qui simplici, vera, puraque fide pietatem hanc nostram amplectuntur: de quibus Christus, *Oves meæ vocem meam audiunt*, & ad Petrum: *Pasce Agnos meos*. Quo super exclamat Salomon; *Pasce animas pecorum tuorum*: de quibus scriptum est, *Arietes duos in primitiarum sacrificio ad septem Agnos immaculatos, anniculos, & vitulum unum de armento adjici debere*. Præclara quippe mandata diceret Hefychius, & virtutes quas sequi alias velut Oves oportet, ad primam illam oblationem applicandas. Quod vero Aaron pontificalibus jam ornamentis instructus Arietem obtulit in holocaustum, per Arietem, Theologi, ut idem Hefychius, Christum intelligunt immolatum: ille enim ducatum præbere Ovibus euntibus in pasceam, & ad egressum ingressumque: à caulis & in caulis solet: sicut & Christus dux perfectæ conversationis est, à quo videlicet ea sumpsit exordium, atque ideo intrare & exire Ovibus præcipiebat.

INNOCENTIA. CAP. XX.

ANTE alia autem tam Ovis quam Agnus hieroglyphicum est innocentia. Hinc illud apud Cyprianum sapientissime scriptum libro de Livore: *Meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suam nuncupet. Oves nominat, ut innocentia Christiana Ovibus acquætur: Agnos vocat, ut Agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur.*

MANSVETUDO. CAP. XXI.

ET imbellem, purum, simplicem, ac egregie mansuetum hominem, eundemque immaculatum, & pectore candidissimo præditum hieroglyphice significare qui volunt, Agnum pingere consueverunt: id enim mansuetissimum ejus ingenium exposcere videtur. Nam & ipso vocabulo *ovis* puritatem castitatemque significat. Et antiqui sacrificuli auguresque Maximam hostiam ovili pecoris appella-

*Divus ceterarum
curarum
conferat
1079*

*Aries oblationis
quid.*